

ÆSTIMAVIT EAM
HELI
TEMV-
LENTAM.

Hoc mulieri crede, aquam se non bibere.
Et Alexis in Saltatrice,
Mulieribus, inquit, omnium rerum satis est, si vini est ad bibendum satis. Xenarchus haud inveniunt mulierem quandam apud eundem Athenaeum, horrendo maxime iuramento sese obstringentem inducit, hoc pacto.

*Milhi contingat te superstite, ð filia,
Liberam ac vinum bibentem, annum agere.*

Quod si ita est, inquit Antiphanes, an non est impendio miser,

Vxorem qui ducit, praterquam apud Scythas?

Illic enim tantum viris non feritur.

Ex omnibus postremo sequitur, quod etiam male suspiciosus Pontifex, non leuem eo pacto iniuriam illi fecerit, multa sunt tamen, quæ eius iudicij temeritatem excusent, tempus, consuetudo, locus, oris rubor, & tumida flexibus genæ, madentes oculi, palpebræ minio tinctæ, agitatio ipsa labiorum circa vllam vocis prolationem, quæ non modo iratis, aut frigore argentibus, verum etiam ebriis euenire solet, ac denique candor ipse animi ab omni malevolentia alienus. Vt primum enim illius orationem accepit, quæ sobriam mentem testabatur, non, quod forte alius quispiam fecisset indignum ratus mutare sententiam, conuictus exegit: sed citò mœstitiæ condolens, ac virtuti congratulans, illam benigne est allocutus, & precibus illius fauit, & ad meliorem spem est cohortatus.

Ceterum quod ad temulentiam atinet, turpis est profectò in viro quouis ebrietas, inquit Vermilius: at in muliere multò est facilior, maxime verò in Leuitæ vxore. Quare Paulus in prima ad Timotheum id monet sedulo, ne vxores diaconorum deditæ sint vino. Hæc Vermilius. Ecclesiastici 25. Tanquam ira Dei mulier temulenta. Natura verò etiam in fæminis ab hac turpitudine abhorruisse videtur, cum temperamento corporis prorsus contrario aduersus ebrietatem armauit: quod pluribus exposuit Difarius Medicus, cum apud Macrobius Saturnal. lib. 7. illud Aristotelis dictum explicat, Mulieres raro in ebrietatem cadere, crebro senes. Repugnantem enim ebrietati naturam mulier sortita est, utpote quæ humectissimo est corpore. Docet hoc & læuitas cutis & splendor, docent præcipue assidue purgationes superfluo onerantes corpus humore. Cum ergo epotum vinum in tam largum ceciderit humorem, vim suam perdit, & fit dilutius, nec facile cerebri sedem ferit, fortitudine eius extincta. Sed & hæc ratio iuuat sententiæ veritatem, quod muliebri corpus crebris purgationibus deputatum, pluribus confectum foraminibus, ut pateat in meatus, & vias præbeat humori in egestionis exitum confluenti. Per hæc fora-

Vermilius.
Turpissima
in muliere
ebrietas.

macrobius.

A mina vapor vini celeriter euanescit. Præterea verò etiam nimio frigore, quod in earum corpore est, haustum vinum frigescit, & ita debilitatur, ut vis eius, quæ elanguit, nullum calorem possit, de quo ebrietas nascitur, excitare. Hæc ille. Naturam autem sapientiores quique populi imitati, honestati mulierum consulere volentes, vino prorsus eis interdixerunt. Apud Massilienses olim vini vsus fæminis lege perpetua prohibitus fuit. Quod etiam ætate sua Theophrastus Mileti obseruatum fuisse memoriæ prodidit. Qui verò de victu, atque cultu Populi Romani scripserunt, inquit Agellius libro decimo Noctium Atticarum, capite vigesimo tertio, mulieres Romæ, atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est vino semper, quod Temetum præscia lingua appellabatur, abstulisse dicunt: institutumque ut cognatis osculum ferrent, si bibissent, reprehendendi causa, ut odor iudicium faceret, si bibissent. Bibere autem solitas ferunt loream, passum, murinam, & quæ id genus epotant, potu dulcia. Quæ tamen Varro is solummodo indul-

get, quæ iam ætate prouecta erant: sic enim ait libro primo, de vita populi Romani: Antiquæ mulieres maiores natu bibebant loream, aut sapam, aut defrutum, aut passum, quam Murchinam quidam Plautum appellare putant. Sapam autem appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant. Defrutum, si ex duabus partibus ad tertiam redegant deferuefaciendo. Passam nominabant, si in vindemia vnam diutius coctam legerent; eamque passi essent in sole aduri. Porro tanta religione ea consuetudo seruata, atque defensa est, ut non modo, si quæ vinum bibissent, de fama atque existimatione periclitarentur: verum etiam viris libera potestas esset in eas animaduertendi non minus, quam si se probro, aut adulterio polluisent; quemadmodum in eodem loco refert Agellius ex Marci Catonis autoritate, Tertullianus A-

pologet. capite sexto. Plinius libro decimo quarto, capite decimo tertio, referunt Egnatium Mecennium, cum vxorem interfecisset, quod vinum è dolio bibisset, cædis absolutum à Romulo: & ex Fabij pictoris Annalibus, matronam, quæ oculos, in quibus erant clauis cellæ vinarie, resignasset, à suis mori inedia coactam. Dote etiam multatas refert Gothofredus ad caput decimum sextum Nouell. vigesima secunda. Tam antiqui moris causam, Athenæo referente, Alcimus Siculus in Italica historia hæc esse docuit, quod, cum Hercules Italiam peragraret, & astu, atque labore aridus & sitiens in Potomitarum fines accessisset, rogarique sibi potum exhiberi, viro iubente vinum propinari, illiberalis mulier lagenam oculuerit, iusseritque è proximo fonte aquam petere. Quod factum indignè ferens heros, viro impensius laudato, decreuit: ut mulier imposterum vino abstineret, quæ lex illico totam Italiam peruagata est. Verum, ut opinor, hæc si legem Her-

Tertullianus
Plin.
Gothofredus
Athenæus.